quitatibus omne. sic & multi alii nascuntur [conceptus] sum; Nec solus ego peccaui. sed
multi alii; Ideoque sicut omnibus peccantibus parcis. ita parce & mihi; Et in pec
catis concepit me mater mea; Ecce enim ueritatem dilexisti; Ac si diceret; Scio quia tu
iustus & uerus es; Nec falli potes ut malum aliquod impunitum derelinquas; Ideoque
ego in me peccatum punio quatinus tu ignoscas; Est enim in utroque & ueritas & mi
sericordia; Veritas. quod ego punio; Misericordia quod tu indulges; Ecce enim ueritatem
dilexisti. id est ueritatem uere confessionis tu amas; Incerta & occulta
sapientie tue manifestasti mihi; Incertum est hominibus ullis peccata re
laxentur. Sed mihi manifestatum est dimissa dicens dominus transtulit pecca
tum tuum. Asperges me ysopo & mundabor. id est a sordibus elacionis; ysopus humilis
herba est et saxis aderens curans pectus & pulmones. ideoque humilitatem
non absurde uidetur significare. que uero lapidi adheret id est xpo; Is enim
primus ueram humilitatem docuit. Asperges me ergo dicit ysopo id est munda
bis me a spiritu superbie documento uere humilitatis tue & sic purgabis me a tu
moribus & inflacione superbie. Pulmo enim uenti admissiuum esse fertur.
& cum irascimur inflatur. quando & iam elacionis aura impellimur et eleua
ri creditur; Lauabis me id est penitencie lacrimis; & super niuem deal
babor id est qui prius eram phenicius peccatis. Auditui meo. i. auditu spirita
li. Dabis gaudium id est mentis; & leticiam id est corporis. Auditui meo dabis
gaudium & leticiam; letabundus iam peracta penitenciam & ueniam impetras
se confidens loquitur. Cum inquit de uenia presumsero & me indulgenciam
impetrasse credidero. tunc & animo & corpore gaudebo. & exultabunt. i. uir
tutes anime mee. ossa humiliata. i. fortia opera. t. uirtutes. siue & iam eter
nitas spei. seu fidei generationis xpi. Nec hec omnia in eo dum peccaret & hu
miliata fuerant & quasi defecerant. Auerte faciem tuam a peccatis meis. i. di
mitte mihi peccata mea; pro eo quod super iustam iniquitatem meam ego agnosco.
subdit nunc. Auerte faciem tuam. quasi diceret; quia ego pre oculis semper peccata